



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro Quarto Decretalium : In Quo De Sponsalibus, Et Matrimoniis, & quae eis annexa sunt, agitur, eadémque plenè, & theoricè explanatur, & declarantur ...

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, 1678

Titulus. IV. De Sponsa duorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98293)

numero, quàm ibi ftatuto; & teftes, qui fine Parocho, vel alio Sacerdote, de Ordinarii, feu Parochi licentia, his claudeflinis matrimonii interfuerint, nec non ipfi contrahentes, viter pro arbitrio Ordinarii puniantur. Sic jam quæritur, an per hoc Decretum Concilii Tridentini fublata fit, & reuocata fufpenfio illa triennalis? Negant plures apud Sanch. cit. diff. 48. n. 3. quia Tridentinum non derogat Juri antiquo, imò ait, fe inhære veftigiis Concilii Lateranenſis in cit. c. ult. h. t. in §. fin. ibid. ultra fufpenſionem triennalem decernit Parochum grauius puniendum, fi culpæ qualitas poſtulauerit. Sed contrarium tenet Sanch. ibid. n. 4. ubi ait, ceſſare hodie fufpenſionem triennalem per pœnam arbitriam impoſitam à Tridentino, quia quando minor pœna imponitur novâ lege, ob idem delictum, pro quo grauior imponebatur lege antiquâ, tunc ceſſat pœna legis antiquæ; quod tamen nondum eſt ſufficienter probatum. Limitat tamen id Sanch. c. l. n. 5. ubi ait, ſi proprius Parochus, vel alius Sacerdos regularis, aut ſæcularis, de ejus licentia, matrimonio valido, claudeflino tamen, ob denunciaciones omiſſas, interſit, tunc habere adhuc locum pœnam fufpenſionis triennalis, quia Trident. Concilium de hoc nullam decrevit pœnam. Idemque ſtatutum eſt in cit. §. fin. de Parocho, qui ſciens hujusmodi matrimonium claudeflinum impedire neglexerit. Aliud eſt, ſi alienus Parochus, vel quicumque alius Sacerdos, regularis, aut ſæcularis, ſine proprii Parochi licentia interſit tali matrimonio, cum enim tale matrimonium nunc ſit invalidum, ideo pœnæ olim impoſitæ tali matrimonio, quod erat tunc validum, non incurruntur, Sanch. cit. diff. 48. n. 6.

XLIII. Notandum 3. Sufpenſus ab officio, hoc eſt, ab exercitio, & officio Ordinis Clericalis, quia interfuit matrimonio claudeflino, non eſt ſufpenſus à beneficio, hoc eſt, à perceptione fructuum beneficii, quia in cit. §. fin. ſolum exprimitur, ſufpen-

dendum eſſe ab officio, hæ autem ſufpenſiones ſunt diſtinctæ, Sanch. l. 3. diff. 5. n. 14. ubi tamen addit, poſſe Judicem talem ſuſpendere etiam à beneficio, ſi culpæ gravitas id exigeret, ut habetur etiam in cit. §. fin.

Notandum 4. Contrahentibus matrimonium, etſi in gradu alijs permiſſo, ac licito, omiſſis tamen denunciacionibus, prout præcipitur in cit. c. ult. h. t. imponenda eſt pœnitentia, cit. §. fin. verſe. Sed his. Ratio eſt, quia quamvis hoc caſu nullum addit impedimentum, ob quod tales conjungi prohibeantur, contrahunt tamen contra interdictum Eccleſiæ, & ideo puniendi ſunt, quia Eccleſiæ præceptum contemplerunt contrahendo, omiſſis denunciacionibus, Gl. hic V. Pœnitentia.

Notandum 5. Siquis impedimentum per calumniam, ſeu malitiam denunciaret, ſive objiciat, ad impediendum legitimum matrimonium, is Canonice puniri debet, pro arbitrio Judicis, cum talis pœna Jure non ſit expreſſa. Ipſe tamen calumnioſe denunciatus ab officio, & beneficio eſt ſuſpendendus, donec ſe purgaverit, c. 2. de calumniator. Gl. fin. hic.

XLIV. Poſtremò illud hoc loco addendum, Episcopum non poſſe Parochum ſuſpenſum per triennium, quia interfuit matrimonio claudeflino, abſolvere, tum quia licet juxta communem opinionem, ſuſpenſus à Jure, cum hoc ſibi non reſervat abſolutionem, poſſit ab Epifcopo abſolvi: id tamen procedit ſolum, quando quis à Jure ſuſpenditur tantum indefinite, nullo designato certo termino; uti hic contingit, ubi ſuſpenſio fit per triennium, tunc enim cum Jure definitum ſit tempus, Epifcopus quippe inferior non poteſt talem ſuſpenſionem relaxare. Tum quia Conſtitutio cit. c. ult. §. fin. h. t. eſt deſumpta ex Concilio Generali Lateranenſi, in quo Epifcopus, quippe inferior, diſpenſare non poteſt, Sanch. l. 3. diff. 5. n. 2.

T I T V L V S IV.

DE SPONSA DUORUM.

Quia interdum ſponſalia, ſive de præſenti, ſive de futuro, unus vir ſucceſſivè cum duabus mulieribus contrahit, vel è contra, una mulier cum duobus viris, idèoque dubitatur, quænam præferri, vel prævalere debeant, de hoc agitur in hoc Titulo.

§. I.

Si aliqui bina ſponſalia cum diverſis contraxerunt, quænam ſint ſervanda?

I.

Resp. Is, qui ſucceſſivè contraxit ſponſalia per verba de præſenti, ſive matrimonium cum duabus, debet adhærere primæ; ſi verò prius contraxit ſponſalia de futuro cum una, & poſtea per verba de præſenti cum altera, debet adhærere ſecundæ,

prout ſumitur ex c. Duobus. r. h. t. ubi dicitur: Si quis dedit alicui mulieri fidem pactionis, non debet aliam ducere: ſi tamen aliam duxit, debet pœnitentiam agere de fide non ſervata, manere tamen cum illa, quam duxit (quia matrimonium tenet) non enim reſcindi debet tantum Sacramentum. Si autem fecerit fidem conſenſus, non licet ei aliam ducere, quòd ſi duxerit, dimittat illam, & adhærebit priori. Eſt autem fides pactionis, quando aliquis dat mulieri fidem, ſeu promittit, quòd eam ducet uxorem, ſi permiferit iplum rem ſecum habere, vel etiam pro conſenſu. Fides autem conſenſus eſt, quando etſi non ſtringit matrimonium (mulieris, ipſam ſubarrhando, Hoſtienſ. hic)

» corde tamen, & ore consentit ducere, & mutuo se
» concedunt, ac suscipiunt. Idem habetur in *c. ult.*
caus. 27. q. 2.

II. Notandum 1. Si bina sponsalia per verba de presenti inita sint cum duobus mulieribus, vel duobus viris, certum est priora esse valida, posteriora vero invalida, ut constat ex hoc *c. & c. pen. supra de sponsal.* & ibi dictum, quia vir non poterat cum alia contrahere, & si de facto contraxit, separari debet ab altera, ne in adulterio persistat, & redire ad primam, quæ vera uxor est. Si vero quis prius contraxit sponsalia per verba de futuro cum una, & postea per verba de presenti cum alia, posteriora tenent, quia cum matrimonium sit fortius vinculum, per illud subsequens, si valide sit contractum, dissolvuntur priora sponsalia de futuro, *c. Sicut. 22. de sponsal.* Debet tamen ei, qui secundò contraxit matrimonium, penitentia injungi, ob fidem violatam cum priore, cum qua sponsalia de futuro prius iniit, *c. 1. h. t. & cit. c. Sicut.*

Notandum 2. Quæ sit differentia inter fidem pactionis, & fidem consensûs: nam fides pactionis significat sponsalia de futuro, sive promissionem de matrimonio contrahendo: fides consensûs significat sponsalia de presenti, hoc est, quando mutuus consensus matrimonialis utrinque intercedit, *Gl. hic V. Si permiserit. in fine. Alex. de Novo hic n. 3.* ubi ait, ad hoc quotidie allegari istum textum. Et quidem, si quis post fidem pactionis datam, postea interponat fidem consensûs cum altera, matrimonium cum ea ineundo, non priori, sed posteriori adherere debet, ut per se patet.

Notandum 3. In sponsalibus de futuro, si quis promittat, aliquam accipere in uxorem, hac conditione, si permiserit se rem, hoc est, carnalem copulam, secum habere: talis conditio, si intelligatur de fornicario coitu, seu copulâ, est turpis, & ideo debet haberi pro non adjecta, ut docet *Gl. hic V. Si permiserit.* In dubio vero debet intelligi de coitu, seu copulâ licitâ, & legitimâ, & sic censetur tacite inesse, & subintelligi, quia in dubio non præsumitur delictum, *Arg. c. ult. de præsumpt. Alex. de Novo hic n. 9. & 10.*

Notandum 4. Quod in fine hujus cap. dicitur de consensu præstando corde, & ore, id non debet ita intelligi, quasi præter consensum, qui ad substantiam matrimonii requiritur *c. ult. h. t.* necessariò etiam debeant intervenire verba; nam sine verbis, sive ex parte viri, sive mulieris intervenientibus, etiam aliis signis, potest contrahi matrimonium, ut dictum Tit. 1. Unde si vir dicat mulieri, *volo te habere in meam uxorem*, & in signum consensûs osculetur me; & mulier ipsum osculetur, contractum est inter eos matrimonium, *Alex. de Novo hic n. 8.*

§. II.

An sponsalia de presenti dissolvantur per sequens matrimonium consummatum?

III. Resp. Sponsalia de presenti, sive matrimonium prius contractum, sed non consummatum

non dissolvitur per subsequens matrimonium, etiam si per carnalem copulam, sit consummatum, prout statuitur in *c. Licet. 3. h. t.* ubi Papa Alexander III. rescribit: Si inter virum, & mulierem legitimus consensus interveniat de presenti, & unus alterum mutuo consensu verbis consuetis expresso recipiat, utroque dicente: *Ego te accipio in meam, & ego te accipio in meum*, sive juramentum sit interpositum, sive non, non licebit mulieri alteri nubere (adeoque neque viro aliam ducere, quia quoad hoc uterque conjux pari jure censetur.) Et si nupserit, etiam si carnalis copula secuta fuerit, separari debet, & ut ad primum redeat, per Ecclesiasticam censuram compelli: quamvis aliter à quibusdam Antecessoribus nostris sit aliter quando judicatum. Ratio autem, cur matrimonium primum ratum prævaleat, & præferendum sit secundo, etiam per carnalem copulam consummato, est, quia cum vi primi matrimonii, dominium corporis ad potentiam copulæ, sive quoad carnalem copulam petendam sit translatum in uxorem, non potest vir, qui jam non est dominus sui corporis, illud transferre in aliam uxorem in ordine ad eandem copulam, *Fagn. in c. Si inter. 31. n. 7. de sponsalibus.* ubi addit, & sic non obstat regula tradita in *l. Quæties. 15. C. de rei vindic.* ubi ille præfertur, quoad dominium, cui res prius est tradita, licet alteri prius sit vendita, vel alio titulo acquisita: nam hic traditio prius facta est per primum matrimonium.

IV. Sed hic jam queritur, quomodo intelligendum sit, quod in fine hujus cap. dicitur, licet aliter quando aliter à prædecessoribus nostris fuerit judicatum, nempe posterius matrimonium carnali copulâ consummatum esse præferendum priori matrimonio non consummato, cuius contrarium decidit hic Alexander III. Verum Romani illi Pontifices non ita judicaverunt, generalem Canonem, seu legem de hoc re condendo, ac proinde nihil definiverunt, sed tantum in particulari facto opinionem suam protulerunt, quæ vim legis universalis non obtinebat, ut notat Covarr. in libr. 4. Decret. p. 2. c. 7. §. 3. num. 1. Sanch. l. 2. de matr. disp. 14. n. 4.

V. Præterea huc pertinet, quod statutum habetur in *c. Tuas. 5. & ult. h. t.* ubi refertur, quod olim in Ecclesia Mutinensi obtinuit consuetudo, ut si quis jurasset se aliquam ducturum, & citra carnis copulam illam sibi desponsasset, & postea aliam etiam desponsasset, eamque cognovisset, ut primò cognita ei adjudicaretur, non quæ prius erat desponsata. Consultus Pontifex Innocentius III. rescribit, observandum esse, quod S. Petri Secundes, & Metropolis illius Ecclesiæ sequitur, ac docet: videlicet postquam inter legitimas personas consensus de presenti intervenierit (qui si solus defuerit, cætera etiam cum ipso coitu, frustra sunt) si illæ personæ cum aliis postea de facto contrahant, quod prius de jure factum fuerat, non poterit irritari.

Hinc patet, qui duas per verba de presenti desponsavit, prius desponsatam, etiam nondum cognitam, habebit in uxorem, quamvis secundam prius carnaliter cognoverit, non obstante contraria consuetudine, quæ non valet, *Abb. hic n. 1.* Ratio prioris est, quia cum prima per legitimum consensum

sum fuit contractum indissolubile vinculum matrimonii, etiam sine carnali copula, nuptias enim non concubitus, sed consensus facit, l. 30. ff. de R. l. idem non potuit, primam vivente, cum alia matrimonium contrahere, c. 1. de sponsal. etiam si secundam prius cognoverit, quia carnalis copula, sine legitimo consensu, non facit legitimum matrimonium, cit. c. 1. de sponsal. Vivian. in Ration. Jur. Pontif. hic. Ratio posterioris est, quia cum matrimonium lege naturalis, & Divina sit introductum, & firmatum, dicente Christo, quod DEVS conjunxit, homo non separet: Juris autem naturali, seu Divino nulla lex, aut consuetudo potest præjudicare, vel derogare, c. fin. de consuet. ideo nulla etiam consuetudo potest tollere primum matrimonium verum, & semel legitime initum, & inducere secundum, Hostiens. hic in princ. Sanchez. l. 7. de matrim. dis. 4. n. 2. Addit tamen Hostiens. hic, quod consuetudo approbata per Papam potest inducere impedimentum Canonicum dirimens matrimonium, impediendo consensum contrahentis, & annullando contractum matrimoniale, de quo videri potest Sanchez. cit. dis. 4. n. 11.

VI. Quæritur hic DD. an Papa possit condere legem, ut matrimonium ratum, & non consummatum dirimatur per subsequens matrimonium carnali copula consummatum. Et verius videtur, non posse, quia primum conjugium, etiam ratum, & nondum consummatum, & Divina, & naturali lege præfertur secundo etiam consummato, nec per hoc illud dissolvi potest, Covarr. cit. c. 7. §. 3. n. 5. Sanchez. l. 2. de matr. dis. 14. n. 4. Addit tamen Covarr. c. l. quod ratione hujusmodi consuetudinis, quæ vigebat ante Constitutionem c. ult. h. t. vi cuius matrimonia secunda carnali copula consummata præferebantur primis non consummatas, poterant eam secuti excusari à pœna in foro externo, & à peccato coram Deo, in foro conscientia, ob probabilem, & invincibilem ignorantiam.

VII. Illud hic addendum, si quis accepit illam in uxorem, quam alter sibi prius desponsaverat (per verba de præsentis) debet illam dimittere, quia nunquam potest ipsi fieri legitima uxor. Et per XL. dies in pane, & aqua (quod Carenam vocant) ac septem annis sequentibus pœniteat, pro ut statutum fuit in c. Accepisti. 2. h. t.

VIII. Ubi notandum 1. Contrahens matrimonium cum desponsata alteri per verba de præsentis, non potest illam unquam in uxorem habere, secus si fuisset sponsa de futuro, tum enim valuisse matrimonium cum secunda contractum, Abb. hic n. 2. Ratio autem, cur non possit iste, post mortem primi viri, illam ducere in uxorem, est, quia daretur illi occasio machinandi mortem priori marito, ideo & in pœnam etiam proprii delicti, prohibetur, ne talis possit unquam illam ducere in uxorem, quam de facto ita temerarie, & contra jus ausus est ducere, Vivian. hic.

Verum ut contrahens matrimonium cum desponsata alteri per verba de præsentis, omnino inhabilis fiat ad ducendam illam, etiam post mortem primi viri, duo requiruntur. Primum necesse est, ut sciat illam esse uxorem alterius, vel saltem alteri desponsatam per verba de præsentis, alias non peccat, sed posset eam ducere post mortem primi viri, c. 1. de eo,

qui duxit in matrim. Secundum requiritur, ut ipsam cognoverit, vivente adhuc primo viro, c. ult. eod. Abb. hic in fine, & Alex. de Nervo n. 3. & sic debet intelligi, quando hic dicitur: quod nunquam amplius eam habere possit in uxorem, etiam mortuo viro primo.

Notandum 2. Olim Ecclesia imposuit publicam pœnitentiam scienter ducenti uxorem alterius, & regulariter imposita fuit pœnitentia septem annorum pro quolibet gravi peccato publico, quamvis Sacerdos ex causa hoc tempus posset abbreviare, Abb. hic n. 3. & 4. Carena autem hic dicitur publica pœnitentia imposita pœnitentibus, ut per XL. dies singulis hebdomadis jejunarent in pane, & aqua, Feria II. IV. VI. & Sabbatho, sic continuando per septem annos, Rodriq. tom. 2. qq. reg. q. 86. a. 3. Barb. in Collect. hic n. ult. Sed hæc jam sunt antiquata.

§. III.

An appellans in causa matrimoniali possit, lite pendente, aliud matrimonium contrahere?

IX. De hoc agitur in c. Tua fraternitas. 4. h. t. Nam cum quæsitum esset, si quis petat aliquam in uxorem, vel quædam aliquem in virum, quem dicit in eam consensisse, per desponsationem factam, seu mutuum consensum de præsentis: ille vero appellat ad Sedem Apostolicam, & appellatio ne pendente, ante causæ cognitionem, vel ante sententiam, aliam duxit in uxorem, quid hoc casu faciendum? Respondet Papa, si quis duxerit in hoc casu appellandum, Judex, à quo appellatur, ei publice in Ecclesia interdicat, ne ante decisionem causæ, aliud matrimonium contrahat: & si contra hoc interdictum Ecclesiæ facere præsumpserit, matrimonium cum tanta præsumptione contractum poterit ab Archiepiscopo, vel Episcopo irritari.

X. Ubi notandum 1. Pendente lite super matrimonio, siue appellatum fuerit, siue non, non potest aliud matrimonium contrahi cum alia, quia si lite pendente in causa matrimoniali, primum matrimonium pronunciaretur validum, secundum matrimonium foret adulterium, & invalidum, ideoque non debet, pendente lite super primo matrimonio, contrahi cum alia, siue lis pendeat post appellationem, ut in casu hujus cap. siue pendeat coram primo Iudice, ante appellationem, ut in casu c. Cum in Apostolica. 18. de sponsal. Non enim licet contrahere cum alia, quamvis prius matrimonium prætendatur nullum, vel etiam postea per sententiam pronunciaretur nullum, secundum verò teneat, Abb. hic n. 3. & si talis contraxerit cum alia, debet ab ea separari, quia præsumptio stat pro primo matrimonio, quod sit validum, propter mutuum consensum de præsentis præstitum, adeoque quousque constet de impedimento, propter quod non potuit primum matrimonium valide iniri, matrimonium cum secunda contrahi non potest, ne contingat in peccato eos simul cohabitare, & permanere.

Notandum 2. Potest Judex, à quo est appellatum, interdicere, ne appellatione pendente, ante causæ

